

ralem consideras, quæ & qualia ipsi peculiaria veniant, jam quadantenus excussi, quantum huc spectant: In subsidium vero Revelationem advocans, ibi statim deprehendo, Paradisum Protoplastis tanquam proprium aliquod concessum esse, quod quidem omne non Communionem, sed disgregatorum potius, disgregatumque usum & proprietatem designavit. In quibus singulis plenior demonstrationis campus aperitur; Non etenim disputari potest, Adami corpus ex gleba, Evæque ex costa, Caini ac Abelis ex cohabitatione parentum, & sic quidem prodiisse, ut in singulis non ad communionem, sed ad separationem & proprietatem rerum ducamur: Ubera, lac, nutrimenta quæcunque, amictus, vestes & indumenta varia, modi meditandi, operandi & agendi, dum proportionem suam exigunt, rerum quoque proprietatem declarant. Amor & nostri ac studium sui, omnisque ordinata caritas incipit a se ipso, quo pertinet illud **ACCURSII**:

Alpibus ille perit, qui se plus diligit ullum. Videatur copiosius de his agens **ARISTOTELES. Libro II. toto, & ex eo ARNISÆUS. de Republica. Cap. I.**

§. XV.

Hinc igitur etiamsi forte in aliquibus, aut in omnibus regionibus tantus foret rerum omnium proventus, ut divinam providentiam accusandi nihil sit causæ; simul tamen & ordinis divini ubivis, & admirabili varietate distinctarum rerum, disquisita fuisset habenda ratio, quæ non ad unitatem aut communionem vagam, aut promiscuam, sed ad unionem plurimum, ac proprietate, & propriis sibi tributis, prudenter
acpie